



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Occupatio animae Jesu Christo crvcifixo devotae.**

**Leroy, François**

**Pragae, 1666**

§.3. Crucis inimicorum, & Crucifixi amatorum in judicio discrimen.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47123](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47123)

## §. 3.

*Crucis inimicorum, & Crucifixi amatorum in judicio  
discrimen.*

**H**ic verò jam paucis observare delectat; quod eo articulo futurum sit, inter inimicos & amatores Crucifixi rerum discrimen, quanta animi motuū, affectionumve differentia. Illi ad aspectum venientis crucis Dominicæ, horribilo pavore concutientur, atque ab inviso sibi signo, suoq; (ut loquitur S. Augustinus) accusatore, si quæ possint, *form. 130. 2a temp.* avertent oculos, non sustinentes terrificum, qui inde promicabit fulgorem. Hi ad ejusdem sibi dilectæ, jamq; gloriosæ ac blandè fulgentis crucis intuitum, exillient gaudio scilicet, & tanquam ad notum vexillum congregabuntur, atque ad ejus felicia oscula, & pridem optatos aspirabunt amplexus. Illi plangent: hi levabunt capita. Illi ad adventum atque conspectum irati Judicis, cujus etiam ipso in vultu, tanquam descriptam legent scelerum suorum imaginem, terrore, pavore, furore, desperatione replebuntur, horrendumq; in modum rugient, aspicientes eum quem confixerunt. Hi venientem cum gloria Patrem, Sponsum, amatorem suum, summa cum voluptate suscipient, neque reformidabunt Judicem, quem experientur Salvatorem. Illi denique (ut expressum habes in Joannis Apocalypsi) abscondent se in speluncis, & in petris montium; & dicent montibus & petris: *Zach: 12. Joan: 19. apoc: 6.* *Cadite super nos, & abscondite nos à facie sedentis super thronum, & ab ira Agni.* Quanquam frustra id quidem: quoniam ira Dei comprehendet eos, & circumfusus divinæ Justitiæ satelles, ignis involvet. Hi dulces latebras & tutum perfugium invenient in foraminibus Petræ, in ipso corde Salvatoris; & ad illa nota diversoria confugientes (si qua vel umbra timoris esset) tempestatem illam iræ DEI declinabunt, quasi illis dicatur illud de Can-

*Isai. 26.* tico Isaia: *Populus meus, intra in cubicula tua* (in familiaria videlicet ipsius Judicis vulnera) *claudere ostia tua super te, abscondere modicum ad momentum, donec pertimescat inimicatio.* Illi gloriosos crucis clientes, quos ipsi in vita deposuerint & opprimerint, & quorum vitam, ut ait Scriptura, aestimaverint insaniam, plenos gloria inter filios Dei conspicientes, *turbabuntur timore horribili*, & praeter dura rabie, atque invidentia ululabunt, & in semet ipsos futuro reverso, carnes suas commanducabunt. Hi in partem celestis confessus & judicariae potestatis admissi, de inimicis suis divinam approbabit sententiam, & (velut in quodam psalmo dicitur) *manus suas lavabunt in sanguine peccatorum.* Postremo (quae summa & extrema est infelicitas) qui crucem Domini, jugum inquam suave & onus leve, olim adeo aversati fuerint, & vel ipsam vocem mortificationis canere perire & angue oderint, horrendam Crucifixi Judicis & efficaci voce contriti, mittentur in tenebras exteriores, ubi inter ignis immortalium abyssos, ac vortices flammarum ineluctabiles, fumique urentis caliginosa volumina, cruce confingentur aeterna. Qui vero crucem & Crucifixum amaverint, ejusque amore se ipsos oderint, & in omnibus abnegaverint, amantissimo ipsius Regis atque Judicis invitatu, praerunt crucem lati sequentur, cum Amore suo Crucifixo aeternum in caelis regnaturi, & pro gutta fellis, quam hic cum Christo gustaverint, torrente potandi indeficientis voluptatis. O securitatem, beatitatem, regnum, gaudia! o vitam quibusvis tormentis, & vel mille mortibus, redimendam!

Porrò quae hoc capite, de specialibus amatorum crucis in judicio praerogativis, praerunte B. Angela docuimus, & de Generali praerogativa exposuimus, etiam de Particulari (quae vocant) accipienda sunt: quanquam earum praerogativarum, in privato illo judicio, etiam magis sit nobis incerta ratio.